



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum. XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

ab Ecclesia egrediatur superpelliceo indutus: nisi cum processiones, aliudve ecclesiasticum munus & officium obit, quod illud indumentum requirat.

## Decretum. XI.

Baptismus  
infantū ex-  
positorum.

INFANS expositus tametsi collo appensum habeat testimonium, quod baptizatus fuerit, si tamen illum baptizatum esse alia ratione non constat, baptizetur, hac tamen verborum formula; Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo; & si nondum es baptizatus, ego te baptizo &c. Quod si in ea testimonij scheda sit nomen adscriptum, quod illi in baptismo impositum esse asseratur, idem ipsi nomen imponatur; conferueturque etiam illa scheda de collo pendens; ac præterea quo modo, quoque testimonio munitus repertus sit, in libro baptizatorum describatur.

## Decretum. XII.

Ritè bapti-  
zatus ne ite-  
rum sub cõ-  
ditione bap-  
tizetur.

SACERDOS qui infantem ad sacram baptismi fontem delatum verè ritè; baptizatum esse sciens, eum iterum (quod nefas est) baptizare præsumserit, ea etiam conditione, Si es baptizatus, ego te iterum non baptizo, &c. præter irregularitatem quam incurrit, alia præterea graui plectatur pœna Archiepiscopi arbitrati.

## Decretum. XIII.

Parochus q-  
bus conui-  
uijs ne in-  
terfit.

ANIMARVM curator qui baptismi sacramentum Infanti ministravit, ad conuiuium ne accedat, quod in ædibus parentum infantis recens baptizati ob id paratum erit.

Nuptialibus præterea epulis, quæ sponsorum quos coniunxerit, quibusve benedixerit, nomine paratæ erunt, ne interfit; si in eis lusus, choreæ, saltationesve agendæ sint, aut amatorij vel lasciuji cantus canendi.

## Decretum. XIII.

In puerpera-  
rum benedi-  
ctione quæ  
cauenda.

AD preces quæ supra puerperam funduntur, cum post prolem emissam illa actura gratias ad Ecclesiam se cõfert, Parochus puerperæ domū ne ingrediatur, etiam si mulier ob aduersam valetudinem Ecclesiam adire nequeat.

Fœminis præterea post puerperium ad Ecclesiam veniētibus panis benedictus sub hostiæ forma ne præbeatur.

## Decretum. XV.

QUICVNQVE in Diœcesi maiorem anni partem moratus est, si is in Pascha sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum non ab eo Parocho sumpserit, intra cuius parochiæ fines id temporis māsērit; quamuis se id ab alio Parocho sumpsisse asserat, in eum tamen non secus agatur, ac si ex illius parochiæ incolis vnus esset, qui totum ibi annum mansisset.

Si quis præterea sex tantum mensibus in diœcesi habitauerit; tantundemque temporis in aliqua vrbs parochia moratus, post Pascha ad illam se confert parochiam, in qua sacram Eucharistiam non sumpserit; hic tridui spatium fidem communionis Parocho exhibeat.

Quod si non præstiterit, perinde habeatur, ac si sacram non sumpsisset communionem.

## Decretum. XVI.

SACERDOTI, qui singulis & festis diebus & ferijs in anno Missæ sacræ pro alio facit, ne maior pecuniæ summa eleemosinæ nomine detur, quam sit, libræ scilicet imperiales centum & octuaginta.

Neque Sacerdoti cuiquam, qui id Missæ sacræ faciendi munus per totum annum suscepit, quauis causâ causæve specie, ac ne sustentationis quidem aut necessitatis nomine plus petere exigere liceat.

Ad quam rationis normam cæteræ dirigantur eleemosinæ, ijs Sacerdotibus dandæ, qui certis anni aut mensis diebus Missæ sacrum fecerint.

Festis autem diebus duplum eleemosinæ, quod in ferijs eo nomine erogandum est, accipi licere vetitum non sit: modò tamen propter hanc dupli rationem nõ augeatur certa ea centum octuaginta librarum eleemosina.

Sin autem Sacerdos quispiam plus quàm præscriptum est eleemosinæ petet, etiã si quod petierit non sit assecutus, pœna plectatur arbitrati Archiepiscopi.

B 4 De-

ni. in. dicit  
ni. in. dicit  
ni. in. dicit  
ni. in. dicit

Pasche tem-  
pore in ea  
quifq; Paro-  
chia cõmun-  
nicet in qua  
maiorē an-  
ni partē mo-  
ratur.

Quanta cui-  
que celebræ-  
ti eleemosi-  
na danda sit.